

Sammelband
quarto

1161

+

- 7. 10.) Jd. de crimine lese Majestatis
- 11.) Jd. de damnaliti extra matrimonium cohabitatione
- 12.) Jd. de code hominis
- 13.) Jd. de incendiis vi publica et crimine falsi
- 14.) Jd. de crimine repetundarum ff.
- 15.) Jd. de judiciis criminali
- 16.) Jd. de assessoribus judiciis Co.
- 17.) Jd. de procuratoribus et advocatis Jud. Crim.

Josephus Maria



24

I. N. 7.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
USUCAPIONIBUS

Quam
CONSENSU

Magnifici Jctorum Ordinis
in Electorali ad Albim

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo
atq; Excellentissimo

DN. WILHELMO LEISERO,

Jcto & Antecessore famigeratissimo, Curia Ele-
ctoralis, Scabinatus, & Facult. Jurid. Assessore
longè gravissimo h. t. Decano specta-
bilissimo

Dn. Præceptore, Patrono, & studiorum suorum Promotore
aternum devenerando
publico Examini subjiçiet

SAMUEL CHRISTOPHORUS CNUP-
PIUS, Cosv. Anhalt.

A. & R.

Ad d. 29. Octobr. Anno 1670.

Hor. matut. in Coll. Jctorum.

WITTEBERGÆ,

Literis WENDIANIS, excudebat DANIEL Schmaß/
Acad. Typogr.

24.

UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT

LIBRARY

UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT





IN NOMINE JESU!

Verè non minus atq; prudenter Paulus egregius LL. peritus in *l. 25. pr. ff. de liberat. legat.* item Celsus in *l. 5. ff. de LL.* imo ipse Sacratissimus Justinianus in *Nov. 94. c. 2.* monent, frequentiora & quotidia potius esse tractanda, quam rarò contingentia. Et non abs re, quæ enim utrum in vita humana habent quotidianum sunt utilissima *l. 6. §. 4. ff. de precat.*, juxta ac per necessaria *l. 1. ff. de susp. tutor.* quæq; notabiliter fiunt, ne neglecta videantur, speciali designanda tractatione *l. 15. §. 26. ff. de injuriis.* Itaq; his ponderatis operam & oleum me perditurum nullus metuo, si præsens de *Usucapionibus* Thema Disputationis publicæ loco exhibere allaboravero. Nemo enim, qui mediocriter saltem in Juris studio versatus fuerit, inficias ibit, si ulla alia in Jure Civili materia nobilis, frequens & ardua nuncupatur, præsentem hanc, quæ longè nobilior, frequentior & magis ardua omnibus cæteris extat, nobilitatis gaudere titulo. Utilitas præterea & fertilitas ejus talis & tanta invenitur ut ullius præconii attributione ne utiquam indigeat, imo nec verbis pro dignitate satis exornari possit. Et cum omnibus numeris absolutum opus edere & quod nullius reprehensionem incurrere possit, non humanæ operæ, sed divinæ sapientiæ & potentiæ sit; ideo & hanc materiam per summa capita tantum delineare decrevi, & si res accuratioris indiguisset limæ, quam tamen juvenilis robor ingenii adhibere nescit, à B. L. veniam commisi ingenuè expeto. Cum verò tum demum universa benè gerantur & feliciter, si rei principium fiat decens, dicente Imperatore Justiniano in *N. 6. præf. circ. fin.* Hujus igitur secutus ego exemplar ab ipso omnium rerum Principio DEO Ter. Opt. Maxt. exordior, ejusq; sanctissimo in nomine ut ad omnia aliàs consilia, omnesq; actus semper, ita & ad institutum

A

præ-

præfens progredior *l. 2. pr. C. de offic. præf. prætor. Affric. summis*
humillimisq; precibus manibusq; ad cælum erectis æternum e-
jus auxilium invocans *l. 1. pr. § 2. C. de V. J. E.* Sit igitur ALTI-
POTENS in quo unica mihi spes est, laboris mei, non solùm
principium, sed & medium & terminus *Nov. 109. pr.*

§. 1. **P**riusquam verò in intimiora Ipsius rei descendamus a-
dita, operam inanem me non daturum spero, si monen-
te subtilitatum Magistro *Scaligero Exerc. 1.* accuratâ vocum co-
gnitione in ipsius rei perceptionem penetremus. Nisi enim con-
veniamus in nominum significatione, de rebus certè non potest
esse disputatio *Matth. Stephani de Jurisd. lib. 1.* Hoc ipsum quo-
que eximiè declarat ac ostendit *Ulpian. in l. 1. de J. § 7.* cum in-
quit: Juri operam daturum, nosse prius oportet, unde nomen ju-
ris descendat.

§. 2. Sciendum itaq; usucapionem definiri non pos-
se, nisi lite decisâ, quæ circa hujus verbi notationem succrevit. (I)
Usucapio non simplex, sed junctum est verbum ab usu & capien-
do dictum, & ideo pro usucapere Juri quoq; dicunt capere usu, &
pro non usucapere, usu non capere *l. 15. §. 2. § l. 44. §. 2. § 7. ff.*
de Usur. l. 2. §. 1. ff. pro emptore, usus possessionem significat, si-
cut è contra possessio significat usum rei *l. 15. de V. S.* Capere est
acquirere, usu igitur capere, nihil aliud est, quam per usum sive
possessionem acquirere. Inde apparet usucapionem rectius scri-
bi usucapionem, non ususcapionem. Non enim sic dicitur usu-
capio, ut pignoris capio. Pignus enim à pugno derivatur, & pi-
gnoris capio vocatur, cum manu pignus capitur; at in usucapio-
ne nullus usus capitur, quia non est captio usus, sed captio rei per
usum. Nam non capimus usum, sed rem capimus usu, & posses-
sione temporis à lege definiti. Hoc tamen Cato apud Gellium
lib. 7. c. 10. non animadvertens, usucapionem, sicut pignoris ca-
pionem scribi debere tradidit. *Borcholt. Comment. Inst. hic Mejer*
in Colleg. Argent. b. 1. §. 1. Strauch dissert. 8. aph. 2. (II) Sunt non-
nulli, qui dicunt, olim usucapionis nomen commune fuisse tam
præscriptioni quam usucapioni: Sed ita usucapionem & præscri-
ptionem confundunt; certissimum enim est jure veteri utramq;
ab altera fuisse distinctam, & hoc manifestè docetur, quod cuivis
mate-

materiae etiam sua peculiaris & separata sedes sit assignata (1) differunt *Origine*. Usucapio ex *LL. XII. Tabb.* praescriptio ex Constitutionibus Principum vel moribus recepta fuit. (2) *Tempore*. Usucapio aut triennio aut longo tempore *l. un. C. de Usuc. transf.* Praescriptio solo longo tempore absolvitur *t. t. C. de presc. long. temp.* (3) *Usucapione adquirebatur Dominium & extinguebatur Dominium pristini Domini ipso jure* *l. 3. b. t. l. 20. C. de patris.* Praescriptione ope exceptionis & jus tantum Dominio proximum, quod est possessio firma, quam in heredem quoque transferebant. *d. l. un. C. de Usuc. transf. Cujac. in ff. de presc. long. temp. Don. 5. comment. 4. Tr. d. l.* (4) *Usucapio litis contestatione non interrumpitur* *l. 2. §. 21. ff. pro emptore. l. 2. ff. pro donato. Praescriptio interpellatur. l. 1. l. 10. C. de acquir. poss. vide Srauch. exerc. 8. aph. 20.* plures adhuc differentias inter usucapionem & praescriptionem suppeditantem.

§. 3. Non tamen ad differentiam quicquam facit, quod aliqui dicunt, usucapionem videlicet esse rerum mobilium, praescriptionem vero rerum immobilium. Haec enim Interpretum opinio non firmo stat talo, quia ex *l. 26. l. 17. l. 18.* imò ex tot. *Pandect. tit. de usuc.* constat, quod Italica praedia olim usucapta fuerint. A vero autem non aberrant, qui asserunt rerum immobilium usucapionem restrictam tantum fuisse ad praedia Italici soli: Praedia enim extra Italiam sita, uti omnes *Dd. ad §. 40. J. de R. D. & l. un. C. de Usuc. transf.* tradunt, fuisse in dominio populi Romani, ideo sc. quia juxta *l. 40. §. 1. ff. de cape. & postl.* talis ager ex hostibus captus dicitur publicari h. e. Reipublicae adscribi. Quoniam vero populus Romanus per servos suos non poterat agros hos colere, necesse erat tales agros locare: Transcribebantur itaque certis hominibus partim ex provinciis, partim civibus pro certo stipendio & tributo, & sic haec praedia dicebantur vel Tributaria, vel stipendiaria. Quantum vero ad reliqua in Provinciis praedia, nec Tributaria, nec stipendiaria attinet potest ea ratio reddi, cur usucapio ad illa extensa haud fuerit, quia quod

per usucapionem est acquirendum immobile solum, debet perti-
nere ad civitatem illam, cujus jure acquirendum: jura autem u-
nius provinciae positiva non possunt se extendere ad alias provin-
cias. Itaque praedia provincialia à possessoribus non poterant usu-
capi, sed illi tantummodo praescriptionem opponebant, h. e. exce-
ptionem contra Dominum vindicantem rem suam vel quemcun-
que alium; non vero actionem, propterea quoniam ad actionem
erat necesse supponere dominium, illis autem possessoribus do-
minium concedere erat absurdum. Jctis antiquis, quia hoc sibi
reservaverat populus Romanus. Sed quoniam Dominium quod
dicebatur penes populum Romanum esse, effectu ipso cum primis
sub Imperatoribus nihil aliud erat, quam Imperium, quod etiam
competebat populo Romano in praedia Italica, discrepantia tan-
tum erat nominum, unde hanc superfluum distinctionem abroga-
vit Justinianus in *l. un. C. de usuc. transf.* in qua lege facta est
communis Usucapio Italicorum praediorum & provincialium, ex
quo sequitur in provinciis possessores habere dominium, quia u-
sucapio est modus acquirendi dominium. *Nobilissimus &
Consultissimus Dn. Praeses Praeceptor atq; studio-
rum meorum Promotor omni observantia & viter-
num prosequendus, in Coll. priv. discurs. ad §. 40. J. de R. D.
& pr. J. b. r.* Similiter & praescriptio non tantum fuit rerum im-
mobiliu sed & mobiliu ex rescripto D. Magni Antonini,
quod expressè probatur per *l. 9 ff. de div. temp. praesc.* licet in *d. l.
textus variè emendetur.* Sanè nostram lectionem etiam appro-
bat Florentina, ut idcirco eo tutius illi credere possimus. *Meier
in Colleg. Argentor. all. loc. circ. fin.*

§. 4. Hodierno vero Jure, si res ex eo aestimanda venit,
certum erit usucapionis reru soli & longi temporis praescriptio-
nis jura communicata esse, & id quod habuerit haec aut illa majus
aut minus utriq; aequaliter attributum *l. un. C. de usuc. transf.*
usq; adeo, ut etiam nominu usus promiscuus sit, nec referat,
num praescripisse aut usucepisse se quis dicat, modo reliqua quae
requiruntur accuratè observarit.

§. 5. Exposita nominis notatione jam ad ipsam rei defini-
tionem

tionem progredior. Definitor verò à Modestino in l. 3 ff. b. t. quod sit *Adjectio Domini per continuationem possessionis temporis lege definiti*. In hac definitione generis loco ponitur *Adjectio domini*. Ulpianus autem tit. 19. §. 7. *Adeptionem* dicit, adq; id verbum etiam Cujacio magis placet, & ita in Modestini definitione legendum censet d. Cujac. Duar. & Connan. quibus etiam adstipulatur Bachov. in Not. ad parat. Wesenb. eod. tit. & ad Treutl. vol. 2. disp. 22. tb. 1. lit. B. Hahn. in ff. all. tit. n. 3. ex eâ ratione, quoniam vocabulum *Adjectionis* actum legis definiat, non possessoris usucipientis. At verò Ludw. diff. 6. ad J. tb. 1. lit. D. ut & Herman. Herms in not. ad parat. Wesenb. d. l. & Meier in Colleg. Argent. b. t. §. 3. utrumq; genus non displicet, si modo ex verbo *Adjectionis* quis nolit colligere aut statuere Dominium rei usucaptæ autoritate legis esse apud eum, qui usucepit, naturale autem apud eum contra quem usucaptum est manere, quod censuisse Alciatum & Corasium scribit Cifn. supr. d. l. Sed cum Editio Florentina, quam temere reprehendere non licet, vocem *Adjectionis* habeat, eaq; non aliter ad legis actum respiciamus, quam ut actum possessoris simul exprimamus per continuationem possessionis d. l. 3. nihil in all. l. 3. mutandum censemus. Et sic proxima usucapionis causa est *continuatio possessionis*, sine quâ usucapio non procedit l. 25. ff. b. t. Et quamvis ad usucapionem titulus quoq; requiratur, & usucapio nullo justo titulo præcedente, non subsistat l. 24. C. de rei vind. ut pluribus infra dicturi sumus: tamen titulus non est causa usucapionis proxima, sed causa possessionis & possessio est proxima causa usucapionis Borcholt. Comm. Inst. hic.

§. 6. Divisio usucapionis vel *ex Objecto* fieri potest in usucapionem rerum mobilium & immobilium §. 1. Inst. hic. l. 33. §. 7. & 3. l. 37. C. ff. b. t. l. un. C. de usuc. transf. vel *ratione forma* ex antiquo jure in usucapionem unius anni vel biennii

nihil d. §. 1. Inst. de Usuc. ex jure vero recentiori in triennii & decennii & vicennii usucapionem d. §. 1. Inst. b. t. & d. l. un. C. de Usuc. transf.

§. 7. Notari etiam hic velim usucapionem non esse modum acquirendi dominium Jure Gentium introductum, ut sic causa efficiens usucapionis sit Jus Gentium; sed est modus acquirendi Juris Civilis, adeoque positivi. Originem autem usucapionis aliunde repetere non licet, quam ex LL. XII. Tabb. Verba Legis 12. Tabb. recitat Cic. pro C. in Top. *Usus auctoritas fundi, biennis: ceterarum rerum annuus esto.* Auctorem vero veteres dixerunt, qui jus augendi pretii vel non augendi habuit h. e. Dominum. *Obrecht d. l. 1. b. 137.* Et sic auctoritatis verbo jus legitimi Domini significat: ut Cic. pro sua Domo: Multae sunt domus in hac urbe, atque haud scio, an pene cunctae, jure optimo, sed jure privato, jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipii, jure nexi. Sic & mox: adversus hostem aeterna auctoritas vid. *Jacob. Gothofr. ad LL. 12. Tabb. in not. ad tab. 6.* Illud tamen hic fateri necesse habemus, usucapionem deinceps variis Principum Constitutionibus, locorum consuetudinibus, & statuti emendari coepisse vid. *Wesemb. in ff. b. t. & all. l. un. C. de usuc. transf.*

§. 8. Cum vero Usucapere nihil aliud sit, quam dominium per usum & possessionem acquirere l. 3. ff. b. t. l. 25. eod. uti diximus, sequitur quod usucapere omnes possunt illi, qui dominium acquirendi vel possidendi facultatem habent. Recte itaque usucapere dicitur (1) *Paterfamilias* l. 4. §. 1. b. t. (2) *Filiusfamilias* l. 4. §. 1. b. t. quoad nempe peculia castrensia & quasi, ut & adventitia arg. l. 6. C. de bon. quaelib. (3) *pupillus* licet sine tutoris auctoritate possidere coeperit. (4) *Furiosus* id, quod ante furorē possidere coepit, usucapier d. l. 4. §. 3. & hoc illi utilitate suadente relictum est, ne langvor animi damnum etiam in bonis adferet l. 44. §. 6. b. t. In furore autem constitutus usucapere non potest, quia non habet animum possidendi, ex quo tamen usucapionem procedere necessum est: alias ne quidem curatore autore usucapere potest arg. l. 1. §. 3. de acq. vel amitt. poss. l. 5. de R. J. Ra-

7. Ratio ea est, quod excepta causa peculiari omnino scientia ad usucapionem necessaria sit. Illa vero, cum in furiosum non cadat, idcirco eum etiam usucapere non posse necesse est. Cæterum hæc de furioso ipso intelligenda sunt. Quantum enim ad Curatorem ejus attinet, quem ex æquitate furioso acquirere statuunt *arg. l. ult. C. de Curat. furios. Dn. Struv. Exerc. 41. n. 3.* non dubitamus ex eadem æquitate asserere, ipsum furioso usucapere sive per usucapionem acquirere posse.

§. 9. Antequam ad eas res quæ usucapi possunt, accedamus, considerabimus antea, quæ usucapi non possunt. Usucapi autem quædam res prohibentur (1) *ob generalem inhabilitatem*, quod scilicet non sint in commercio hominum. Sunt autem extra commercium hominum (1) *Res sacra, sancta & religiosa l. 9. ff. b. r. §. 1. 7. eod.* ratio est, quod locum sacrum aut religiosum non possumus possidere, licet contemnamus religionem & pro privato eum teneamus *l. 1. 30. §. ff. de acq. poss.* Sed quid si istæ res sacræ, sanctæ & religiøsæ per 30. vel 40. annorum spacium possessæ fuerint, an præscribi possint? Negamus hoc & probamus nostram sententiam per indirectum ex *l. 4. C. de præsc. 30 vel 40. ann.* ubi Imperator Anastasius dicit: *omne Jus publicum & privatum extingui*; ita à contrario res sacræ sanctæ & religiøsæ non debeant extingui, & sic concludimus, quod his rebus nulla temporis præstituta sit præscriptio? *Nobilissimus & Consultissimus Dn. Præses, in Coll. priv. discurs. ad §. 1. Inst. b. r. (2) Liber homo d. l. 9. l. 6. C. de ingen. man. l. 3. C. de long. temp. præsc. quæ pro libert. & c. l. 21. C. de evictionibus.* Ratio ea datur, quia Objectum usucapionis dicitur res aliena, quæ mutat tantum dominium, ut transeat ex pristini domini in dominium usucipientis: non autem objectum usucapionis est res humano commercio exempta, ut liber homo §. 2. *Inst. de imat. stipul.* unde etiam est, quod dicitur, hominem liberum in jure non possideri *l. 30. §. 1. ff. de acq. vel amitt. poss.* Ex his jam dictis apparet, cum effectus usucapionis sit, ex re aliena facere rem nostram, alienum esse à naturâ usucapionis

pionis, ut faciat ex re humano commercio exempta, rem humano commercio subjectam. Quid autem si liber homo 30 vel 40. annos possessus fuerit? Dicimus quod nullo modo usucapi possit, & probationis ergo adducimus *l. 3. C. de long. temp. presc. quæ pro libertate non adversus libertatem opponitur.* Imo hoc jus nulla temporis longiuitate, etiam si sexaginta annorum curricula excesserit, immutatur *d. l. 3.* propterea quod liberum hominem invitum apud concives suos servum fieri non posse evidentissimi juris sit *l. 6. C. de ingen. manum.*

§. 10. II. *Ob speciales causas* prohibentur usucapi (1) *res ob vitium extrinsecus accedens, & quidem reale, furtiva & vi occupata seu possessa* §. 2. J. *hic l. 4. §. 4. §. 23. hic l. 44. §. 2. eod. expilata l. 68. 69. 70. de furt. l. 35. hic.* ut hæc ratione furta & violentæ invasiones coerceantur. Ad res furtivas etiam spectant *res amota l. pen. ff. de act. rer. amot. & servus fugitivus*, qui ob interversum domino usum sui ipsius furtum facit *l. 1. C. de servis fugitivis.* Quod autem dixi furtivam rem usucapi non posse, eatenus verum est, si res furtiva in veri domini potestatem reversa non fuerit, atq; ita vitium purgatum sit: idem etiam dicendum, si æstimationem rei scienter recepit §. 3. 7. *hic l. 4 §. 6. & 12. ff. de usuc. l. 24. ff. eod. Cisner. ad d. l. 4. §. 12.* duo requisita ponit, quibus res possit dici in potestatem rediisse. Unum, ut ita rei furtivæ possessionem nanciscatur Dominus verus, ut retinere eam omninò queat. Nam tum, cum actione quadam aut interdicto ab ipso avocari potest, non existimari rediisse. Posterius est, ut sciat Dominus & rem suam esse & surreptam sibi fuisse & iterum receptam *l. 7. §. 7. ff. pro empt. l. 4. §. 12. ff. b. t. & sic res in Domini pristini potestatem reversa videtur, si nempe rediit in pristinum statum, ut apparet ex d. l. 4. §. 10. ff. b. t.* Addimus hoc unicuique, quod quamvis juxta hæctenus explicatum jus, res non aliter usucapiatur, nisi redierit in potestatem pristini Domini, hæc tamen pertinent tantum ad usucapionem h. e. quod talis res non acquiratur neq; per triennium neq; per 10 vel 20. annos. De cætero verò per modum

prescriptionis & adeo indirecto eam acquiri posse nempe 30 an-
nis dicimus, quod ita procedit. Quoniam actio ista domino com-
petens ad rem sibi sine furto sine violenta occupatione ablatam
repetendam non vivit ultra 30. annos, qui terminus est prescri-
ptus regulariter omnibus actionibus, unde cum Dominus remo-
veri possit per exceptionem sequitur possessorem rei furtivæ fieri
securum, quod autem habeat exceptionem post 30 annos, patet
ex *l. ult. vers. videlicet C. unde vi § l. 3. C. de presc. 30 vel 40. ann.*
nam etiam ipse fur non potest conveniri *l. ult. C. de annali except.*
Italic. contract. toll. Quid si vero aliquis à fure rem emerit, vel ex
alia causa acceperit, ane usucapiendi jus habebit? Nego propter
vitium reale i.e. rei coharens. De fure enim hoc disponi necesse
non erat, quia ob malam fidem usucapio ei non competit.

§. 11. Sed quid de partu furtivæ ancillæ, ane partus hic u-
suciari possit? Cum quæstio hæc anceps valde sit. distingvimus. Si
prægnans surrepta, aut apud furem concepit, furtivus est, sive a-
pud furem *l. 12. C. de furt.* sive apud aliam etiam bonæ fidei posses-
sorem edatur *l. 48. §. 5. ff. de furtis.* quia partus portio viscerum
matris *l. 1. §. 1. ff. de insp. ventr.* & venter seu partus in utero jam
in bonis furis fuit. *l. fin. §. 4. & 5. ff. qua in fraud. credit. l. 44. §. 2. bic*
§ arg. l. 77. ff. de furt. Si vero concepit apud bonæ fidei posses-
sorem, ibiq; peperit, non est furtivus & potest usucapi *d. l. 48. §. 5. de*
furt. Attendendum autem num bonæ fidei possessor sciverit ma-
trem ante conceptionem & editionem furtivam esse, & tunc usu-
capi non potest *l. 4. §. 18. ff. b. c.* Obstat etiam ignorantia defectus ti-
tuli. Quod si bonæ fidei possessor ignoravit conditionem matris
ante conceptionem & editionem partus & tunc partum usucape-
re potest *d. l. 4. §. 18. l. 10. §. 2. ff. bic l. 48. §. 5. de furt.* Hilliger ad
Donell. lib. 5. c. 25. Et sic etiam conciliat Ungeba. Exerc. 7. Inst. q. 3.
l. 4. §. 18. bic § l. 4. l. 9. & 10. ff. pro emptore. Nempe distingvendo
inter Dominum scientem ancillam esse furtivam & ignorantem
ejus conditionem ante conceptionem & editionem partus. De
primo intelligit *d. l. 4. §. 18. de secundo exaudit l. 9. §. 10. ff. pro*
emptore.

§. 12. At num idem etiam de foetu pecudis furtivæ dicen-
dum? Omnia diversa sunt. Hic foetus enim in fructu est *l. 48. §.*
ult. ff. de A. R. D. etiam si oves prægnantes surreptæ *l. all. 48. §. ult. ff.*
B de

de A.R.D. ideoq; perceptus à bonæ fidei possessore illico acquiri-
 tur, etiam heredi, cujus quoad fructus par conditio est cum aliis.
 Fructus enim tribuuntur cultura & curæ §. 35. *Inst. de R. D.* De-
 niq; statim postquam editus est, apud quemcunq; conceptus sit,
 acquiritur *l. 4. §. 19. hic* & usucapi non debet *d. §. 19.* quia non pot-
 est Dominium quæsitum denuo acquiri. Objicitur (1) *l. 48. §. 5. de*
furt. Respondemus rectius in aliis, quam Florentino, exemplari-
 bus legitur: *Idem servandum non est*: quia negativam sententi-
 am poscit §. sequens, ubi exemplum regulæ negantis & probatio,
 quia in fructu, vel dicimus cum Connano verba illa: *Idem & in*
pecudibus, efferri per interrogationem, cui jungatur respon-
 sio, vel cum *Magnif. Dn. Strauch. dissert. 8. tb. 9.* dicimus, in foetu
 idem observandū quod in partu, nempe non quoad usucapionē,
 sed quantum ad furtivitatem attinet. Quatenus enim foetus apud
 furem conceptus & editus, non potest acquiri bonæ fidei posses-
 sori. (2) Objicitur *l. 4. §. 5. b. r.* ubi foetus usucapi possunt. Respon-
 det Donellus, possunt, aliquando scilicet non semper, nimirum
 quando heres ante editionem rescivit pecora esse aliena. Tum e-
 nim superveniens scientia facit, ut fructus statim non percipiat *l.*
48. §. 1. De A. D. usucapere tamen potest. Verum hæc responsio
Hillig: in Not. ad Donell. lib. 5. c. 6 lit. D. nō arridet, cujus verba ordi-
 , ne supponam: *Non placet hæc solutio, quia quod superveniens*
 , *scientia cursum usucapionis non sistit, verum est de ea ipsa re, cu-*
 , *jus usucapio bonis initiis cæpta. Quare hic non impediatur usuca-*
 , *pio pecorum, sed foetus usucapio justum initium non habebit, cum*
 , *tempore quo incipit foetum possidere, in fide malâ sit, atq; ita initiis*
 , *possessionis injustum. Commodius responderi puto ad d. §. 5. ex ver-*
 , *bis si defuncti non fuerunt, quæ nec cum Connano 3. Com. 15. n. 2 sic*
 , *accipio, si foetus non fuerint mortui & consumti, quæ vocula defun-*
 , *cti sit Nominativus pluralis, non Genetivus singularis. Quis enim*
 , *dubitare potest consumtos, qui nulli sunt, usucapi non posse: nec cum*
 , *Cujac. in d. §. 6. si in hereditate non fuerint inventi sed post aditio-*
 , *nem nati. Nam nec hoc verbis convenit, & sententiam falsam red-*
 , *dit, sed ita si is, cui nos heredes successimus eos foetus non acquisivit.*
 , *Pone defunctus ex re commodata depositave fructus percepit. Heres*
 , *ignorat ex hujusmodi rebus esse, possidet hos fructus pro suo, eru-*
 , *sucapit. l. 2. in fin. pro suo. Tantum Hilliger.*

§. 13. Hæc



§. 13. Hæc occasione quæritur, an res locata, commodata defuncto, in hereditate reperta, si heres hereditariam putet, usucapi possit? Notum est, quod possessio sit qualitas, quæ oritur ex eo, quod quis actu rem in potestate habet, ab hæc qualitate quis possessor nuncupatur, res vero dicitur possessa, quæ est objectum possessionis; Hæc qualitas originem habet ex eo actu, quando quis rem mobilem manu apprehendit, immobilem corpore contegit. Porro, quam quis possessionem semel nactus eam retinere intelligitur, non tantum quamdiu rem manu apprehendit, & corporaliter detinet & possidet, sed etiam tunc, quando corpore dimisit, & solum animo retinet, aut ut accuratius dicam animo non dimisit *l. 30. §. 5. ff. de A. P. & l. 4. C. eod.* Impossibile n. est, homines posse rebus suis omnibus corpore incumbere. Unde qui semel possessor factus, semper intelligitur manere possessor, donec probetur contrarium *Strauch. exerc. 6. tit. 23. in pr.* imo licet rem vel apud aliquem deposuerimus vel alicui commodaverimus vel locaverimus semper retinemus possessionem *l. 30. §. 5. & l. 3. §. 18. ff. de A. P.* hujus rei ratio datur in *l. 9. ff. de A. P.* Ex hoc jam conficitur, quod ille qui de posuerit rem apud aliquem retineat possessionem. Jam vero regula est: Unam eandemque rem duo simul possidere nequeunt *l. 3. §. 5. ff. de acq. vel amitt. poss.* Itaque in hac specie facti facillimo negotio dubium tollitur. Nempe illius rei, quæ est penes depositarium commodatarium &c: tamdiu retinemus possessionem, quamdiu is apud quem res est deposita &c: nihil egerit in contrarium h. e. ex quo intelligi possit, eum aliquid fecisse, contra præsumtionem juris, quæ erat se velle ministerium præbere, quod patet *ex l. 3. §. 18. ff. de A. P. & l. 47. ff. eod.* His itaque sic præmissis facile ad questionem respondendum erit, nempe heres rem defuncto locatam &c: nullatenus, licet hereditariam putet, usucapere potest, cujus rei binas rationes suppeditat *Clarissimus Bachovius ad h. l.* (1) quod heres non habeat titulum, dicturi enim sumus infra, quod ad usucapionem requiratur bona fides cum justo titulo. Nec obstat, quod putet rem hereditariam esse: titulus enim non est verus sed putativus respectu illius rei. Non enim sufficit putare, habere se justam causam possidendi, sed necesse est ut habeat justam causam, aliud enim est putare rem esse hereditariam, & aliud putare emisse defunctum rem: qui putat emisse, semper putat rem esse hereditariam, non contra. Et propterea etiam *l. ult. ff. pro suo* interpretanda venit specialiter, non quando quis sine ullâ veritatis specie rem esse hereditariam putat, sed quando habet justam causam putandi

tandi defunctum emisit (2) ratio est, quia hoc ipsum pugnatet cum analogia juris, quæ in eo consistit, quod ille heres tenetur actione personali. Notum enim est actiones quæ ex contractu nascuntur, non tantum nos sed & heredes nostros obligare l. 3. §. 3. ff. commodati & generaliter in l. 49. ff. de O. & A. Cum itaque heres teneatur actione personali, quæ actio est perpetua, licet præscripta tandem jure Codicis 30. annis; hinc illud absurdum sequeretur, ut heres talis conveniri possit actione locati conducti; ad restituendam possessionem naturalem rei locatæ conductæ &c. quæ tamen aliquot ante annos usu ceperit, si valeret titulus pro herede, ipsam rem. Accedunt denique textus nempe l. ult. C. de usur. pro herede & l. 4. C. de præst. long. temp. His vero contradicit communis Dd. schola, & putat heredem ita posse usucapere. Duo proferunt argumenta (1) quod sit titulus in ff. C. de usur. pro herede, qui videretur nullius momenti nisi talem usucapionem admitteremus (2) obstat valde l. pen. ff. pro herede. Respondemus in genere ad argumentum primum, quod nos non negemus dubitatum fuisse inter veteres Jctos, unde isti tituli magis videntur esse conscripti in ff. C. contra hanc usucapionem, quam pro illâ, quod imprimis patet ex LL. in C. h. 2. & inde dicimus quod adhuc titulus pro herede ita possit induci, ut pro herede usucapiatur, qui usucapionem à defuncto captam tanquam heres continet. Ad l. pen. ff. pro herede Respondemus id eo pertinere, ut diximus, dubitatum nempe fuisse inter veteres, & quibusdam placuisse hanc sententiam, quæ tamen ex LL. C. reprobata. Et sic concludimus, rem pro hereditaria ab herede habitam non posse usucapi *Nobilissimus & Consultissimus Dn. Præses all. loc. §. 2.*

§. 14. Porro, quod contra Legem Juliam Proconsulivel Prætori donatum est usucapi non potest l. 8. pr. de L. Jul. repet. add. l. 6. §. 3. de offic. præf. quod tamen etiam non obtinet, si vitium purgatum sit, ac res in Domini potestatem sit reversa *Cujac. 12. obs. 3.*

§. 15. Ob favorem Dominorum (II) exemptæ sunt usucapioni res Fiscæ §. 4. Inst. b. l. l. 18. h. 24. eod. l. 2. (comm. de usuc. Hic etiam operæ pretium esse puto, si paucis exponamus distinctionem, quæ olim fuit inter Atrarium & Fiscum. Atrarium scilicet erat pecunia publica populi Romani. Fiscus vero erat pecunia ipsius Principis, postmodum vero Atrarium & Fiscum fuisse confusa & pro eodem habita patet ex l. ult. C. de quadriem. præscr. Mansit aliquandiu verò differentia inter substantiam Principis publicam & privatam, quæ etiam nunc inter Dd. frequentatur, cum pri-
rais

nis in illis Regionibus, ubi Regiminibus sunt potius Administratores
 quam Domini v. c. Imperator alia bona tanquam Imperator, & alia tan-
 quam Dux Austriae & Rex Bohemiae, Hungariae &c. habet. Obiter hinc o-
 randum; Imperatorem Romanum Imperii Dominum non esse: sed Ad-
 ministratorem, sicut Tutor & Curator *Riminald. ad § 1. Inst. de his quib.*
al. lic. Ideo alienationibus Imperium non minuere debet sed augere,
 Sacratissimi Nominis memor, se esse semper Augustum, alleger *Mehren*
des Reichs. Huc adstrictum se novit capitulatione Caesarea, nec de re-
 bus Imperii absq; consensu Electorum quicquam alienet vel obliget:
 sed potius ea quae decesserunt Imperio eidem adiacere laboret *vid. Aur.*
Bul. Caroli IV. & Steidan. lib. 1. Comment. de reb. gest. Caroli V. sub an.
1519. qui Capitulationem refert & describit. Est & Imperator Romanus
 Tutor & defensor. Ecclesiae. *Voigt und Schirmer der Christenheit / der*
Christlichen Kirchen rechter Voigt Schirm, und Schirm Herr. Reichs
Absh. de An. 1518. pr. de an. 1519. in pr. R. A. de an. 1530. §. auff solch unser
& seq. Advocat der Kirchen R. Absh. de anno 1541. 1548. & passim, ut in
Capitulationibus §. zum Ersten. Unde & B. Lutherus *An. 1520. Steidano*
testante ad Carolum V. scripsit, se confugere ad supremum Magistratum,
 tanquam aras praesidiumq; orari ut doctrinae Christianae tutelam su-
 scipiat. Sed ut ad institutum nostrum redeamus. Jure nostro Justinia-
 neo haec differentia tantum dicis causa retinetur, propterea quoniam
 imperium illud sub Justiniano erat Despoticum, unde est quod Impe-
 rator in *all. kult. C. de quadr. praeser.* differentiam nullam tolerare vult,
 inter substantiam Principis privatam & publicam. Idq; obtinere com-
 mode potest in Regiminibus Despoticis, qualem formam habent nostri
 Principatus, quoniam accipiuntur per feudum, at vero forma feudalis
 est, ut quis utile dominium accipiat, nempe ille qui investitur. Hinc
 itaque conficitur quod hoc exaudiendum sit etiam de rebus ararii,
 imò de privata Principis substantia. Haec res jam usucapi nequeunt, uti
 hoc item traditur, in *l. 18. ff. de usuc. & passim.* Et hoc absq; dubio ex
 privilegio fuit, quod fundamentum habuisse videtur favorem Reipu-
 blicae, duravit autem etiam postquam fiscus ad Principem translatus &
 forma Reipublicae fuit immutata, ubi quidem alias tantus favor non est
 fisci Principis ac fisci Reipublicae. Fiscus enim Reipublicae quodammo-
 do ad singulos pertinet: Principis non item. *Nobilissimus & Consulcissi-*
mus Dn. Praeses Patronus meus observandas ad §. 4. all. loc.

§. 16. Bona a vacantia fisco nondum nunciata, bonae fidei emptori tradita

B 3

usucapi



usucapī possunt §. 4. *J. hic l. 18. ff. eod.* Bona v. vacantia propriè illa dicuntur, quorum Dominus mortuus est nullo relicto herede, & tunc succedit fiscus *l. 4. C. de bonis vacantibus.* Nunciationi autem quadriennio præscribitur *l. 1. §. 2. ff. de jure fisci l. 10. §. 1. de div. & temp. præscript. & deniq; l. 1. C. de quadrienn. præscript.* imo & quinquennio, si res ob vectigal non solutum, in commissum ceciderit *l. 2. C. de vectig.* Qui nunciabant, Denunciatores dicebantur & delatores *οννοφάτωρ* quales sub Maximo plures extitisse scribit *Herodianus lib. 7.* Præmia denunciatorum vide in *l. ult. §. 7. C. de Delator. & Magn. Dn. Strauch. diff. 8. th. 10.*

§. 17. *Res pupillares* etiam usucapi prohibentur ob favorem pupillorum *l. 10. ff. quib. mod. serv. amit. l. 48. de A. R. D. l. 3. v. pupillari C. de præsc. 30. ann. Cic. ad Attic. 4.* de tutela legitima nihil usucapi posse. Res vero aliena bona fide possessa à pupillo licet ceu pupillaris venierit usucapi potest *l. 2. §. 8. & 15. ff. pro emptore Cuj. obs. 14.* Iis quoq; casibus, quibus verus tutor transfert dominium, accipiens bona fide ab eo qui pro tutore se gerit consequitur usucapiendi conditio *l. 2. ff. de eo qui pro tutore & c. Cui non obstat l. 4. §. 24. ff. de doli & met. except. Hilliger ad Donell. lib. 5. c. 23. in not. lit. A.* deinde si ante coepta eo tempore, quo in utero est, impleatur, res usucapta intelligitur, quia hoc casu opus est restitutione in integrum *l. 45. ff. de min. vid. Dn. Strauch. diff. 8. th. 8. Struv. exerc. 43. §. 10.* Quid vero de minorum rebus? Communis propè sententia est Dd. contra hos nullam quidem præscriptionem inchoari, sed currere tamen contra antecessorem seu priorem possessorem inchoatam, salvo duntaxat minori in integrum restitutionis beneficio *Treutl. th. 3. & Wesenb. n. 14 b. t. Gilken. d. tr. p. 3. c. 1. n. 63.* Ast cum in *l. 3. C. quibus non objic. long. temp. præscr.* in genere dicatur, id temporis quod in minore ætate transmissum est, non imputari longi temporis præscriptioni: jam vero præscriptio & usucapio hodie sunt exequvatae *l. un. C. de usuc. transf.* ideo verior sententia, quod nec coepta v. c. contra defunctum cui minor successit, usucapio & longi temporis præscriptio intra ætatem minorem currat *Gilken d. part. 3. c. 1. n. 78. & seqq. Bachov. ad tit. restit. minor. v. 7.* Item usucapi nequeunt *RES DOTALES l. 4. ff. de fund. dot.* nisi tñ. inchoata sit usucapio, antequam dotales fierent *l. 16. de fund. dot. Meier in Coll. Argent. §. 9. b. t. Strauch. diff. 8. th. 8.*

§. 18. Hæc exemptione usucapionis etiam gaudent *res mere facultatis arg. l. 2. ff. de via publ.* dicuntur autem res mere facultatis, actus à merito arbitrio alicujus dependentes & jure positivo indifferentes, quibus factis

factis vel omisfis alteri nullum jus tribuitur, & exercenti omittentive non præjudicatur: ut sunt ire in viâ publicâ, in theatro spectare lib. 2. §. 9. §. 2. nequid in loc. publ. facultas faciendi fenestram & edificandi in suo lib. 24. de S. U. P. l. 8. l. 9. C. de serv. & aq. molere, pinsere, cerevisiam emere ubi velis; nisi ab alterâ parte juris cujusdam, quasi possessio acquisita, si scilicet alter alicui pro lubitu actum celebraturo, prohibuerit atq; iste prohibitioni acquieverit: ut si quis ad aliquam civitatem profecturus sit cerevisiam emendi causa, alter vero prohibuerit eum ad hanc ire: isq; prohibitioni morem gerens, omiserit: Tunc si à tempore factæ prohibitionis elapsum fuerit tempus præscriptioni jurium destinatum, jus aliquod erit præscriptum. Factâ namq; prohibitione & in secutâ omissione actui, alias liberi arbitrii, aliquid juris inducitur. *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 4. n. ult.* Aliud tamen dicendum, si res non meræ facultatis, sed simul juris quoq; sit, ut fit, si facultate hæc usurpatâ vel omisâ effectus juris sequitur, quo quis sibi prospicit vel præjudicat l. 3. l. 4. C. de præsc. 30. vel 40. ann. ut hereditatis aditio l. 7. in fin ff. cur. fur. l. 3. C. de institut. & substit. Jus reluendi pignus & pacta de retro vendendo. Cum autem jure Canonico semper in præscriptionibus bona fides exigatur, & verò hanc creditor pignus possidens, aut sub pacto redimendi rem tenens vix habere possit, ideo moribus receptum est, præscriptionem locum non habere. *Constit. Elector. Augusti part. 2. const. 1. Geil. obs. 18. lib. 2. Myns. 1. obs. 16.* deniq; & res civitatum usucapi nequeunt l. 9. ff. h. t. l. 12. §. 2. ff. de publ. in rem act. Numerantur n. inter publicas l. 17. de V. S. publica autem non poterant usucapi l. 9. ff. h. t.

§. 19. Posthinc limites sive potius spatium quinque pedum finibus constitutum ex l. 12. *Tabb.* non poterat usucapi *Cic. 1. de LL.* neq; ex Constitutionibus præscribi l. pen. C. fin. *regund.* Cui tamen sententiæ exasse obstare videtur l. ult. C. fin. *regund.* Et cum hæc l. ult. non tantum à veteribus, sed & recentioribus interpretibus inter obscurissimas numerata: Ideo illa responsio mihi videtur optima, quam adhibet *Vir Magnificus, Nobilissimus, & Consultissimus, Dominus Christianus Klengel* *Actus famigeratissimus, Prof. quondam Publ. Witt. celeberrimus, nunc Consistorii Serenissimæ Principis viduatae Anhalt. Serv. Præses Eminentissimus & Consiliarius intimus &c. Dominus Patronus atq; studiorum meorum Promotor summo observantia culto et a-*
tem

tem venerandus, in Dissertatione elegantissima de JURE LIMITUM *lib. 40.* distingvit enim inter usucapionem seu praescriptionem longi temporis 10. vel 20. annorum, de qua *d. l. pen.* agitur: Et inter praescriptionem longissimi temporis 30. annorum, quod nempe eodem finium actioni possit praescribi *per l. ult. C. fin. regund.* quo etiam collimat *Coll. Arg. lib. 37. fin. reg. & fac. huc l. 1. §. 1. vers. nemo itaq; audeat C. de ann. except.* Incipit autem ista praescriptio currere a tempore quando fines turbantur, unde si duo praedia per triginta annos non turbata, nihil fuisset praescriptum *Par. de Put. in c. an si unus v. 1. de fin. feud. per gloss. & Bald. in l. si actione ff. regund. fin. Hieron. de mont. c. 81. fin. reg.* At haec saltem de privatorum limitum praescriptione sunt intelligenda, item per extensionem *Dd. de finibus communitatum vel Civitatum aut oppidorum* quae Jure privatorum censentur, nam & illorum confinia 30. annorum spatio praescribi censet *Paulus Castrens. cons. 457. pr. vol. 1. Limites vero Ecclesiae temporalium sive praediorum Ecclesiasticorum 40. annorum demum spatio* *cap. quia judicante 9. X. de praescript. cap. ex literis 3. X. de probat. Autb. quas actiones C. de SS. Eccl. sunt praescriptibiles,* ut loquuntur *Dd. ad d. autb. & fontem ejus Nov. 131. cap. 6.* Alii tamen distinguunt de Jure Can. inter res Ecclesiae & Dioecesanamque vel limitatam vel non limitatam ex *Cap. inter memoratos 16. quest. 3.* Queritur hic: An praescriptio locum habeat in publicis? puta inter Reges, Principes, Respubl. populos liberos, si illi invicem de finibus litigent? Haec quaestio difficilis est, primo intuitu videtur quod non. Ratio, quia usucapio & praescriptio sit merum inventum juris Civilis, cui Princeps subjacere non intelligitur *l. 31 ff. de LL. l. 1. pr. ff. de Constit. Princ. verum tempore immemoriali finium publicorum dominium acquiri posse, statuit Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 4.* qui hanc quaestionem accuratius solutam videre cupit, adeat *all. Disp. de JURE LIMITUM Magnifici Dn. Klengelii §. 41.*

§. 20. Supra §. 8. diximus, quod res furtivae usucapi non possint, Res vero immobiles non veniunt nomine furti, quod absq; dubio exinde factum, quod inter plures Etymologias vocabuli furti, arrisit illa, quae est a ferendo *arg. l. 1. pr. ff. de furtis;* jam vero res ferri non potest, nisi est mobilis. Itaq; hoc recepto conficitur inde, immobiles res tali vitio non posse affici, & per consequens non cadere sub exceptionem *LL. Atinia & 12. Tabb.* Notandum itaq; tria esse vitia rerum immobilium *Violentia,*
Clau.

Clandestinitas & Precarium. Vitiū clandestinitatis in rebus immobilibus respondet furto, sed non attenditur. Et hoc quidē ex duplici ratione (1) quia nulla lege fuit exemptum illud vitiū sicut vitiū furti exceptū per *L. Accus.* & *L. 12. Tabb.* item violentæ occupationis per *L. Jul. (2.)* quia per clandestinam occupationem prior possessor non amittit possessionem suam, sed per fictionem juris intelligitur manere possessor *l. 6. §. 1. de A. P.* vi autem possidet, qui expulso vetere possessore adquisitionem per vim possessionem obtinet *l. 1. §. 24. de vi & vi arm.* Requiritur hic duo *dejectio & occupatio.* Ita qui vacuum possessionem absentis occupat & venientem deinde Dominum prohibet, non videtur vi possidere, quia eum non deiecit, cum Dominus non possederit *l. 4. §. pen. b. t.* ideo requiritur, ut initium possessionis violentum sit *Connan. 3. comm. 15. n. 13.* Et licet ipse nequeat ob malam fidem, ab eo tamen bona fide accipiens usufructu potest *§. 2. Inst. hic.* Aliud tamen dicendum, si prior possessor absens animo retinuerit possessionem & reversus repellatur, nam & is vi dejectus censetur *l. 25. §. ult. ff. de A. P.* Secus autem comparatum, si alius deiecerit, alius occupaverit; tunc enim non vi possidetur *l. 4. §. 22. l. 33. §. 2. b. t.*

§. 21. Queritur autem, an res absentis occupata vitio violentæ possessionis afficiantur? Respondemus quod Non. Probationis gratia provooco ad §. 2. *circ. fin. Inst. b. t.* Huic tamen textui graviter reclamare videtur *l. ult. C. unde vi.* Huic legi etiam suum calculum adjicit *Pichardus*, putans, textum nostrum per *all. l. ult. C. unde vi* correctum esse, ita, ut hodie non locum habeat, ob vitium rei inhærens nempe violentæ possessionis. Sed *Vinnius & alii Dd. rectè* scribunt non esse correctum nostrum textum: Constitutio enim hæc *C. unde vi*, uti testatur subscriptio edita est *XIII. Calend. Novemb. Constantinop. post Consulatum Lampadii & Orestis VV. CC. anno secundo.* Nostræ verò Institutiones editæ *XI. Calend. Decemb.* quo anno Imperator noster *tertium Consul.* adeoq; annus fuit tertius post *Orestis & Lampadii Consulatum.* Itaq; ex subscriptionibus Constitutionis illius *C. unde vi* patet, quod Constitutio illa *C. unde vi* tredecim menses prius quam Institutiones nostræ edita sit, adeoq; supini compilatores fuissent, qui Legis dispositionem jam ante annum abrogatam, retulerint in Instituta. Et cum leges correctoriæ strictè sint accipiendæ, verum adhuc manet, quod res absentis occupata vitio violentæ possessionis non afficiantur, nisi hætenus ut interdictum *Unde vi* locum habeat, de quo *cit. L. Cod. exaudit Nobilissimus & Consultissimus Dn. Præses ad §. 2. all. loc.*

C

§. 22. An-

§. 22. Antequam hinc abeamus, ex re fore spero, si duas has quæstiones adhuc proponam. Prima sit: quantum tempus requiratur, ut prædium absentis usucapi possit? Altera: An is qui rem suam negligit, possessionem dimittere videatur. Quod ad primam attinet, notandum, quod absens retineat animo possessionem *l. 6. §. 1. ff. de A. P.* & quod possessio rei ejusdem non possit esse penes plures *l. 3. §. 5. ff. de A. P.* si hæc vera sunt, uti sunt, tunc oritur dubium quomodo nancisci quis possit possessionem rerum absentis, quam tamen absens retinere intelligitur animo. Respondemus itaque, quod illa retentio possessionis absentis, quæ fit animo, sit ex jure positivo, naturaliter enim spectato negotio hoc omninò possessoris esse videtur, qui corpore rem detinet; jam jus illud positivum terminum habet præstitutum nempe longum tempus h. e. illa retentio possessionis animo tamdiu durat, usque dum longum tempus fuerit effluxum *l. 37. §. 1. ff. b. t.* longum tempus vero in jure nostro interpretamur decennium *lib. 16. §. 3. ff.* qui & à quibus manumissi liberini non sunt: ideo concludimus quod decennium abesse debeat, antequam tempus ad usucapionem requisitum numerari incipiat. Enodatâ hæc ad alteram progrediendum. Eadem plane difficultas in hæc etiam sese exerit propter negligentiam, nam qui negligit rem, etiam potest animo retinere possessionem. Itaque Dd. statuunt negligentiam magnam hoc loco intelligi debere, quam alias supinam appellant, ut ex circumstantiis colligi possit Dominum habuisse animum dimittendi *arg. l. 17. §. 1. de A. P. & l. 15. §. 21. de dam. inf. v. c.* Aliquis habet pratum prope urbem situm, in quo prato fœnum per aliquot annos non secuit, tunc intelligitur negligentia talis magna & colligitur nolle eum amplius in bonis suis habere pratum *Nobilissimus & Consultissimus Dn. Præses all. loc.*

§. 23. Sequitur ergo usucapi posse cœteras res omnes, quæ superius non recensentur, nec hodierno jure differentia rerum Mancipi & nec Mancipi facienda *d. l. un. C. de usuc. transf.* Dicebantur autem res Mancipi, quæ Mancipari poterant, veluti prædia urbana & rustica in Italia, res soli Italici, jura Prædiorum rusticorum, servi, quadrupedes, quæ dorso collove domantur *Ulp. tit. 19.* Et omnes res pretiosæ *Cujac. paratit. C. de usuc. transf.* Nec Mancipi quæ Mancipari non poterant, sc. prædia provincialia, feræ bestię, oves, sues, capræ. Mancipatio erat alienatio, quæ certis verbis fiebat libri pende & quinque testibus præsentibus *Pac. Isag. C. d. t. Struv. exerc. 43. §. 8.* Sunt autem res tam corporales quam incorporales.

porales. De corporalibus certum est, eas ufucapi posse siue mobiles siue immobiles sint: *pr. Inst. hic Ulp. d. 19. §. 7. l. un. C. de usuc. transf.* Incorporales nonnullis dubium movent, per quali possessionem tamen verè & propriè præscribuntur, seu verè Dominium earum adjicitur & acquiritur *pr. Inst. b. t. l. un. C. de usuc. transf. l. fin. C. de præsc. long. temp.* Quid autem de servitutibus dicendum? Hanc quæstionem, quæ satis spinosa & difficilis ad quatuor revocemus tempora diversa. (1.) olim quidem *L. XII. Tabb.* ufucapi servitutes non poterant, eo quod possideri, utpote res incorporales propriè non possent *l. 43. §. 1. de A. R. D. l. 3. pr. de A. P.* Sunt namq; jura *l. 8. pr. §. 1. quemadm. serv. amitt.* Jura autem non dicuntur possideri *l. 4. §. 27. de usuc.* sine possessione autem non procedit usucapio *l. 25. ff. hic* quæ in servitutibus desiderabatur. (2.) Jctorum interpretatione, qui *L. XII. Tabb.* interpretati possessionis quâdam fictione servitutum usucapionem introduxerunt: atq; ita prudentum autoritate siue moribus sine lege servitutes prædiorum & urbanorum & rusticorum biennio ufucapi cœperunt, usq; ad tempora Tiberii prout *Revard. d. in l. sing. ad L. Scrib. n. 6* existimat. (3.) Sed lata paulo post lege Scrib. sublata est usucapio tam Rusticarum quam urbanarum servitutum *l. 4. §. fin. l. 10. §. 1. ff. de usuc.* Hocq; partim ob favorè libertatis, & odiù servitutum, partim quia servitutes per se & in suâ naturâ consideratæ non possideri intelliguntur, & alias rationes introductû est, quas vide apud *Wesemb. in ff. §. Zæf. in tit. ff. de usuc. §. Revard. d. tr. ad l. Scrib. n. 4. 5. 6.* Prætor tñ. longi temporis præscriptione tuebatur eos, qui servitute aliquâ per longum tempus nec vi nec clam nec precario uti essent, neq; non utilem iis dabat actionem *l. 10. pr. si serv. vind. l. 10. §. 1. de usuc. l. 1. §. 2. C. de serv. §. aqv. Strauch. diff. 7. th. 20. Struv. exerc. 13. §. 39. Jacob. Revardus d. lib. sing. ad L. scrib. Cujac. in d. l. 4. §. fin. de usuc. l. 1. §. ult. ff. de superf. l. 3. §. 4. ff. de aqv. quot. §. estiv. l. 1. §. ult. ff. de aqv. pluv. arcend. l. 14. ff. de serv. quæ l. 14.* mihi videtur explicare rationes Legis Scriboniæ, quia est Pauli ad Sabinum. Vixit autem Sabinus tempore Tiberii, quo tempore Lex Scribonia lata est, teste *Revard. d. l. in pr.* (4.) Deniq; sacratissimus Imperator Justinianus hanc legem ita mutavit, ut res incorporales adeoq; servitutes indifferenter omnes longo tempore h. e. decem annis inter præsentem, 20. vero inter absentes ipso jure civ. acquiri possent aqve ac res immobiles citra adminiculum Prætoris *l. fin. C. de præsc. long. temp. §. l. un. C. de usuc. transf.* nisi talis sit servitus, quæ non semper sed certo tantummodo tempore uti possimus, tunc enim tempus duplicatum requiritur *l. fin. C. de serv. §. aqv. l. 7. ff. quemadm. serv. amitt.* Exinde

patet nec faciendam esse distinctionem inter servitutes continuas & discontinuas: Erronea enim hæc est, & nullam speciem veri habet, proptereaq; è foro Jctorum relegata *Habn. ad Wesemb. tit. de servit. n. 4. & 5.* Jure Saxonico res incorporales absq; dubio usucapi possunt. Ita de operibus rusticorū videre licet *Constit. Aug. p. 2. c. 4. Landrecht l. 1. art. 29. & 38. cum gloss. ibid. Weichbild art. 4.* unde constat servitutes indistincte 30. & uno anno & diebus aliquot acquiri, & eo tempore probatō, nihil aliud qværi.

§. 24. Antequam ad alia progredimur adhuc fortassè meminisse utile erit, ad præscriptionem servitutū requiri scientiam & patientiam adversarii, non autem titulum, quia ista patientia est vice tituli *l. 10. ff. si serv. vindic.* ubi Ulpianus ait, non necesse est docere quo jure i. e. titulo, aqua sit constituta, sed satis esse ut ostendat se per tot annos usum esse, non vi, non clam nec precario. Idq; etiam Ulpianus confirmat in *l. ult. de acq. plur. arc.* & infinita Jctorum responsa, in quibus sola longi temporis præscriptione servitutē nobis acquiri docemur *l. 2. C. de servit. junct. l. 5. §. 3. de itin. actus priv. vid. præterea Cyn. in d. l. 2. n. 7. Longov. in repet. tit. l. 3. ff. de jurisd. part. 4. Coras. in l. 14. de serv.* Contrariam sententiam amplectuntur *Zæsius in Comment. ad tit. de serv. n. 15. Treutl. in disp. 17. th. 9. vol. 1. Hottom. lib. 8. obs. c. 11. & Revard. ad L. Scrib. n. 7. & 8. & alii per l. ult. in f. C. de præsc. long. temp. l. 24. C. de R. V. l. ult. C. de usuc. pro herede.*

§. 25. Varia est sententia Dd. in recensendis requisitis usucapionis, ita tamen, ut sine negotio eos conciliare possis *Habn. in ff. d. t. n. 11.* quatuor enumerat. *Corvinus ad ff. eod. tit. & coll. Argent. §. 11. b. t. tria:* *Schneidw. Inst. bic. quinq; his inclusa versiculis:*

Non usucapies nisi sint tibi talia quinq;:

Bona fides, justus titulus, res non vitiosa

Quod res tradatur; tempus quoq; continuetur.

Sed libet duo tantum constituere essentialia usucapionis requisita *Possessionem & tempus legitimum*, uti hoc probatur ex ipsa definitione superius tradita sub his verbis: *per continuationem possessionis temporis lege definiti l. 3. ff. b. t.* Possessio justa esse debet & continua. Justitia autem possessionis in duobus consistit *bonâ fide sc. & titulo ad transferendum dominium habili.* De his requisitis jam ordine agemus.

§. 26. Cum multiplex sit tituli significatio; ast nihil, aut si quid est parum tamen ad præsens institutum nostrum faciat, eam lubentes sicco

præte-

præteribimus pede. Titulus autem hic nobis nihil est aliud, quam causa possidendi seu forma justificandæ possessionis, hoc est, quo defenditur uniuscujusq; possessio ab impugnatione alterius, eine Anzeige einer rechtmäßigen Ankunft qualis causa est emptio, venditio, donatio, transactio &c. *pr. Inst. b. t. l. 27. ff. eod. l. 55. de O. & A.* Hinc si quis dubitat num rectè possideam, & ego illi allegavero, quod emerim &c. tunc justa possessio est, quia justus titulus; contra ille qui causam allegare non potest justam, cur possideat, prædo est, & malæ fidei possessor, quia nullus titulus adest *l. 31. §. 1. in fin. de petit. hered.* Titulus autem non præsumitur, sed necesse est eum reverà intervenisse; sed nec error falsæ causæ parit usucapionem *§. 6. Inst. hic l. 11. ff. pro emptore l. ult. ff. pro suo*, & falsa existimatio veritatem non mutat *l. 6. ff. ad munic. atq; hic est plus in re quam in existimatione.* Interim tamen negandum non est, si justissima sit errandi causa, quin usucapio procedat *Cujac. in d. l. 27. b. t. Sub. b. t. th 26.*

§. 27. Alterum requisitum possessionis, quæ usucapionem perficit, est *Bona fides.* Bona autem fides consistit in opinione, quâ quis eum à quo rem accepit, dominum fuisse, atq; inde rem suam esse credit: alienam vero esse ignorat *l. 109. de V. S. pr. Inst. v. cū crederet &c. b. t.* E contra mala fides consistit in scientia vel notitia rem alienam esse *l. 2. §. 1. l. 7. § 4. pro emptore.* Cum vero requisitum hoc non extet in *L. XII. Tabb.* id introductum esse videtur ex interpretatione prudentum, ut scilicet fraudibus hominum frenum injicerent, cum quivis res alienas ad se trahere allaboraret, ut per annuam possessionem dominium naucisceretur. Benè autem notandum, quod bona fides præsumatur, ut consentiunt *Dd.* & illud probant *per L. pen. C. de Evict.* & deniq; per rationem, quod in dubio qui libet præsumitur bonus, nemo malus quæ regula non tantum juris naturæ, sed & jure positivo approbata est *cap. fin. X. de presumpt. & l. 51. ff. pro socio,* Et hæc res maximi momenti est, unde qui dicit se emisse, non debet probare se bona fide emisse, sed hoc præsumitur, & alter qui dicit alterum non bona fide emisse illud probare debet. *Zes. ad tit. ff. de usuc.*

§. 28. Non immeritò autem hic quæritur, si Dominus pristinus non possit probare malam fidem, probet tamen emptorem dubitasse de bona fide, num usucapere possit nec ne? Nos putamus, eum, qui dubitat, non usucapere. (1) quia leges nostræ jam ita positæ sunt, ut bonam fidem positivè requirant *l. 15 §. 2. ff. b. t. l. 22. §. 1. ff. eod.* At vero qui du-

C 3

bitat

bitat non habet positivè bonam fidem, quia non habet scientiam justæ possessionis, *Zæf. all. loc. n. 29. (2)* accedit illud morale, *in dubio abstinendum esse*, talis itaque emptor rectè facit, si abstineat ab emtione rei, de quâ dubitat. *Nobilissimus & Excellentissimus Dn. Præses all. loc. ad pr.*

§. 29. Ast quid dicendum, si ab initio præscriptionis, tempore scilicet traditionis bona fides adest, deinde superveniat scientia rei alienæ? Respondemus benè notando differentiam inter Jus Civ. & Jus Can. hoc in casu: Jure enim Civ. sufficit bonam fidem adesse ab initio acquisitæ possessionis, tempore scilicet traditionis *l. 10. pr. b. t. l. 2. pr. ff. pro empt. ore*, adeo, ut si mala fides post inceptam usucapionem superveniat, nihil noceat *l. un. vers. hoc tantummodo C. de usuc. transf.* De jure vero Can. secus est, quod hodie in hac materia sequimur: eo enim bona fides ab initio acquisitæ possessionis usq; ad finem necessariò adesse debet, & ideo si mala fides ante perfectam præscriptionem, & sic tempore intermedio interveniat, interrumpitur præscriptio *c. 5. circ. fin. de præsc.* Possessor enim malæ fidei nullo unquam tempore præscribit *c. possessor de R. J. in 6.* Post usucapionem verò completam, si scientia rei alienæ superveniat, valet præscriptio, res enim tunc non amplius est aliena, quia ipsi possessori à lege dominium est concessum *vide latius de hac materia Schneidw. Inst. hic. n. 16 cum seqq. & alios Dd.*

§. 30. Sequitur possessio, quæ est principale aliquod & essentielle requisitum, sub se comprehendens *bonam fidem & justum titulum*, uti supra §. 25. diximus. Non sufficit autem justam esse possessionem h. e. cum bonâ fide & justo titulo conjunctam, sed requiritur insuper, ut sit continua, non interrupta, Continuari autem debet possessio per tempus lege definitum *De quo §. seq. dicam*: deinde considerandum, quomodo fiat illius temporis continuatio. Si ab unâ eademq; personâ sine interruptione possessio continuatur, tunc dubium non habet; quid vero si res ab uno ad alium legitimè fuerit translata? Tunc dicimus jure receptum esse, justam possessionem antecessoris prodesse successoribus §. 7. & 8. *Inst. hic l. 14. ff. eod. l. 13. §. 1. de A. P. l. 2. §. pen. pro emptore.* Jus autem hoc fundamentum habet ipsam æquitatem *l. 14. ff. de divers. tempor. præscr.* Res enim plurimas sæpissime suos mutare possessores experimur, ita ex æquitate factum, ut jungantur tempora possidentium. Et hoc adeo verum; ut & vacuum tempus ante & post aditam hereditatem ad usucapionem heredi procedat *l. 22. l. 31. §. pen. l. 44. hic.* Ubi tamen

tamen notanda illa differentia quod singularis possessor eo tempore, quo apprehendit possessionem habere debeat bonam fidem *juxta l. 13. S. ult. de A. P. l. 2. §. 17. pro emptore*. Sed huic sententiae refragatur *l. un. C. de usuc. transf. v. ut in omnibus justo titulo &c.* quae verba non possunt restringi ad successores universales, cum primis quod extensio fiat ad lucrativos successores, ut multo magis idem in onerosis, quales fere singulares sunt, procedere dicendum sit. Quam ratione jus illud Digestorum jure Codicis mutatum videri possit. Porro si successor singularis accessione possessionis praedecessoris uti nolit, hujus mala fides illi non nocebit *l. 5. ff. de divers. & tempor. acces.* Non obstat *l. 11. C. de A. R. P.* ubi dicitur: vitia possessionum a majoribus contracta durant, quasi vitia etiam pertineant ad emptores &c. Respondent variè Dd: vel dicunt posse exaudiri de vitio reali, quod rem ipsam afficit & autorem singularem comitatur: vel posse intelligi legem de successoribus universalibus. Regula ergo est emptorem posse si velit, uti justam possessionem venditoris sique nolit, posse eum ex se incipere. *Nobilissimus & Consultissimus Dn. Praeses, all. loc. §. 8.*

§. 31. Denique requiritur tempus lege definitum *l. un. C. de usu. transf.* Aliud autem tempus fuit definitum jure veteri, aliud est novo. Jure enim XII. Tabb. ad rei mobilis praescriptionem annus ubique unus: ad immobilis in solo quidem Italico biennium requirebatur. Cur tam brevi tempore vetustas usucapiones concluderet, indicat Varro, cum ait: boni patrisfamilias esse rerum immobilium quotannis inire rationem & secundo anno, quod desideratur quaerere, rerum mobilium singulis semestribus, *Wesemb. in ff. hic.* Sed Justinianus auctis hominum facultatibus ista transformavit, atque jure novo ita protraxit, ut mobiles triennio, immobiles vero inter praesentes decennio, inter absentes a viginti annis per continuam possessionem usucaperentur *in pr. §. hic. l. un. C. de usuc. transf.* Qui vero dicantur absentes, qui praesentes, discimus ex *l. fin. C. de praesc. long. temp.* Scilicet absentes hic censentur, qui non in eadem provinciâ *l. fin. C. de praesc. long. temp.* & hodie qui non in eodem territorio, vel etiam praesertim si hoc amplum sit, non sub eodem Praefecto domicilium habet *Gebb. d. tr. c. 3. n. 6.* Absentia igitur ista & praesentia non tam aestimatur ratione personae, quam domicilii, ita, ut licet corpore absens sit, tamen ob domicilium, quod in provinciâ habet pro praesente habeatur *Gebb. d. l. n. 4. Struv. exerc. 43. 16. 17.* posthinc tempus debet esse continuum, ut ne momento quidem possit interrumpi *l. 2. hic.* Nec

tamen

tamen interrumpitur, inter venditorem & emptorem, sed tempora continuantur, ut *§. præc.* diximus, postremo illud notandum, in usucapionibus non à momento ad momentum, sed totum postremum diem computari *l. 6. hic.* ut qui illum attigerit, eum dicamus usucepisse *Dn. Gothofr. 16.* Ideoq; qui hora sexta diei Calendarum Januar. possideri cœpit, hora sexta noctis pridie Calendas Januarias implet usucapionem. De divisione diei Romanæ videri potest *Agell. 3. noct. c. 2. ibiq; Petrus Mosellanus,* & de distributione horarum ad operas *Godofr. ad d. l. c. 6. hic.*

§. 32. Finis usucapionis est, ut aliquis litium & controversiarum finis esset *l. fin. ff. pro suo.* Alioquin enim ex futuræ erant immortales, nisi salubri remedio illi rei fuisset provisum. Nec sane (uti scribit *Fredericus Balduinus præf. tit. de usuc.*) aliter constare possunt humana commercia. Quis enim cum alio vellet contrahere, quis ab alio emere, si nullius rei unquam esset possessio secura? Quomodo publicam tranquillitatem tuebimur, injuriasq; arcebimus, si perpetuo liberum sit, rem, permultorum jam manus pervagatam, vindicare prætextu alicujus prisca exoletiq; tituli? Quam graves & infinitæ in Republ. turbæ concitentur, si tot essent rescindendi contractus, tot successiones exinanientæ, tot possessores expellendi? quam (*inquit Tullius l. 2. de offic.*) habet æquitatem, ut agrum multis annis aut etiam seculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat: qui autem habuit, amittat. Unde etiam idem vult *Cicero in Orat. pro Cæcinnâ* quando dicit: Per usucapiones nobis dominia certa fiunt, & is, qui tollit, eas, unicum illud vinculum tollit, quo affirmare possum hanc rem vel illam in nostro esse Dominio. At oppones cum *Feldeno in Not. ad Grot. l. 2. de J. B. & P. c. 4. §. 1.* non esse justum tollendi lites medium, quod querelas auget. Respondeo negando querelas justè augeri, sufficiat quippe Dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spacium. Adeoq; quodammodo volentibus iis res eripitur: quamvis illud fatear, longè graviora damna esse, quæ culpa patientis exaggerat, justam tamen querelæ causam nego, ubi qui patitur, volens patitur. Finis ex primo ortus est bonum publicum, ne scilicet rerum Dominia sint in incerto *l. 1. ff. pr. Inst. de Usuc.* Deniq; nec divinum nec naturæ Jus usucapioni reiragatur *vid. Hæbr. in ff. de usuc n. 9. & tit. de J. & J. n. 13. ibi: Effectus præcipuus.* Imò asserere non dubitamus, quin cessante etiam lege Civili verisimile sit, Judicem in foro naturali usucapionem admissurum h. e. permissurum illi, qui bona fide mercatus fuerit, & per tempus determinatum possederit, ut rei emptæ
Dominus

Dominus permaneat. Notandum autem requisita Juris ad usucapionem necessaria non seorsim sumenda esse, sed conjunctim h. e. nos non dicimus, si quis rem alienam bona fide emerit ipsum statim esse Dominum, aut si tantum possederit per triennium. Sed hoc dicimus his circumstantiis conjunctim positis in foro naturali verisimile est, Judicem eandem sententiam dicturum. *Nobilissimus Dn. Præses. all. l. ad pr.*

§. 33. Effectus usucapionis est, quod dominium tribuat *l. 3. b. r.* & quidem plenum. Nam usucapio traditioni adjungitur *l. 20. C. de pact. l. 7. §. ult. pro emptore.* Ac usucapio dicitur plenum jus adferre *l. 17 ff. de rei vind.* & ideo vindicationem habet qui usucapit *l. 8. C. de præsc. 30. ann.* Sed de hoc an directum an verò utile dominium h. e. quod utilem tantum non directam conferat actionem in præscribentem, diversi, diversas amplectuntur opiniones, quas hic transcribere brevitatis causa supersedem, cum laboris sit transcribere eas non ingenii, uti loquitur glossa in *l. 1 ff. solut. matr. Everb. Top. leg. l. 3 n. 3.* & B. L. ad *Schneidw. Inst. hic n. 70.* & ad alios LL. Interpretes remittimus.

§. 34. Ut autem alios Civiles modos, qui aliqualem cum usucapione affinitatem & similitudinem habent, in præsentiarum præteream, Præscriptionem & Legatum me adduxisse, sufficiat.

§. 35. Cum igitur nunc de iis, quæ in usucapionibus, ut plurimum observantur pro ratione instituti & ingenio tenuitate mei, ut opinor, satis dictum fuerit, restat ut dicamus, quæ sint contraria usucapionis, quæq; huic repugnent, eamq; funditus evertant. Contraria Usucapionis (1) *interruptio possessionis*, de quâ supra diximus. Interruptio autem est duplex vel Civilis *l. naturalis Wesenb. ad parat. ff. de usuc. adde de civili interruptione Hahn. in ff. ibid.* (2) *mala fides* (3) *injustus titulus* (4) *in integrum restitutio l. un. C. si advers. usuc.* (5) *ætas pupillaris, quæ facit, quo minus usucapio incipere possit l. 48 ff. de A. R. D. l. 10. quem adm. serv. amitt.* Hæc dixisse sufficiant. Interim petitionem ab initio factam repetimus, etsi nobilissima illa materia minus dignè à me pertractata sit, veniam à B. L. facilius me impetraturum confido, quo magis ætas juvenilis in errata proclivis est. Cæterum in cujus Nomine initium feci, finiam, gratias agens Tibi, DEUS Ter. Opt. Max. pro largitâ ad hoc nostrum opusculum Tuâ Gratia, Tuumq; Æternum Numen invoco, ut imposterum studiis meis Tuâ Gratiâ adsis! SIT NOMEN TUUM

BENEDICTUM IN SECULA
SECLORUM!



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and appears to be in a historical or scientific context.




AB: 153595

X2617270

R

Vb 17





I. N. J.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
USUCAPIONIBUS

Quam
CONSENSU
*Magnifici Jctorum Ordinis
in Electorali ad Albim*

PRÆSIDE
VIRO
*Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo
atq; Excellentissimo*

DN. WILHELMO LEISERO,

Jcto & Antecessore famigeratissimo, Curia Ele-
ctoralis, Scabinatus, & Facult. Jurid. Assessore
longè gravissimo h. t. Decano specta-
bilissimo

*Dn. Præceptore, Patrono, & studiorum suorum Promotore
aternum devenerando*
publico Examini subjiciet

**SAMUEL CHRISTOPHORUS CNUP-
PIUS, Cosv. Anhalt.**

A. & R.

Ad d. 29. Octobr. Anno 1670.
Hor. matut. in Coll. Jctorum.

WITTEBERGÆ,
Literis WENDIANIS, excudebat DANIEL Schmaß/
Acad. Typogr.

24

24